

debat, aut inchoabat laetitia. Si inchoabat, grata vicissitudine sequebantur alia, in quibus horti munera non deerant: Si clauderetur, præibant ea quæ ibi sequebantur. Pocœnium vero nihil ferè nisi horti fructus erat. Hic enim nuges, poma pyra, cerasa, olea, uvæ, castaneæ apponebantur: quibus, ne redolerent vinum, addebant quoque lauri folia, & ficus, cibum palato adeò gratum, ut postquam gustasset Darius, inde bellum inferre Atheniensibus decerneret, quo sibi acquireret regionem tam suavis cibi feracem. Sed de his aliisque huc facientibus satis prolixi sunt *Struckius, Buelengerus, Lipsius, Pancirollus, Puteanus, Casaubonus, Rosinus*, & alii, qui in declarandis Romanorum conviviiis desudarunt. Ex veteribus verò an horti munera melius recensent quisquam, quàm in *Georgicis* suis *Maro* & autor *Moreti*, quicumque sit, dubito: an venustius, quæ inde redibant fercula & ferculorum condimenta edixerit alter, quàm *coquus Plautinus in Pseudolo*, incertus sum: an alibi alius feliciter extollat, quàm in *Historiâ Naturali Plinius*; ignoro. Sed laudabant illi horti fructus, ut suo ævo existerent. Ex nostra tamen & superiori ætate certi sumus, nunquam sequentibus temporibus senescenti naturæ vires defuisse aut robur excludendi eosdem fructus, nec hominibus in quos usus converteret, ingenium. Unde fere citius nova ad vetera accessisse reperies, quàm ut quidquam nostris ex veteribus addas. Uno hoc eoque illustri declaro exemplo: *Henricus IV.* gloriosissimus Galliarum Rex, cum in vestibibus luxu, atque sumtu, qui in serici coemptionem convertebatur, maxima Regno suo incommoda importari palam esset; subditorum salutem & augendam rei familiari unicè intentus anno *Clô Idc III. Calend. April.* viridaria & hortos per quatuor Franciarum metropoles destinavit, mororum præsertim alborum copiam conferri, eorundemque culturam, in alendis bombycibus industriam, in excludendis horum ovium curam certis demandari hominibus præcepit. Quorum viridariorum hortorumque beneficio holosericum lanificium, simul contra auri & argenti extra limites alienationem remedium introductum est saluberrimum. *Vid. P. Matheus lib. 6. Hist. Gall. p. 110.*

D

§. XVIII.